



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 29. Seditiosa Protestantium consilia adversus Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. A.C. 1596. conventu conjuratione inter se facta
novæ seditionis fabam cudere aggre-
derentur.

§. XXIX.

*Seditiosa Protestantium confilia ad-
versus Regem.*

Daniel. l. c. Protestantes ut suam factionem nume-
ro, & potentia celebriorem redde-
rent, hacque ratione, quod æquitatis
via non possent, per obfirmatam vio-
lentiam in sectæ suæ favorem extor-
querent, cum omnibus suæ factionis,
sectæque Sociis arctum, juratumque
foedus pangere decernebant: eapropter
Niorti novum rursus conventum per Er-
nardum indicunt, atque ad illum Ur-
bium Rectores, Pictavienses, Santo-
nenses, Alnisienses, & Engolismen-
ses Calvinistas Nobiles convocant, ut
ex illis Provincialis Senatus erigeretur,
eoque stabilito una omnes Loviodunum
reversi de omnium Protestantium Ec-
clesiarum unione agerent: ut vero huic
conciliabulo ex primæ dignitatis Nobi-
lium concursu auctoritatem concilia-
rent, Claromontium, Diguerium, Clau-
dium Trimolium, Plessium Mornæum
& Paraberam, necnon omnes Urbium
ab Hugonottis usurpatarum Guberna-
tores, præcipuos Aulæ Proceres, ac
Nobiles convocant, quibus una congre-
gatis

gatis in Loviodunensi Conventu injun- Sæcul.XVI.
ctum, ut Religionis suæ usu ubique in- A. C. 1596.
staurato nullibi Missæ Sacrificium per-
agi permetterent, atque omnia Regis
æraria pro præfidiarii militis, ac Pro-
vincialium Consulium sustentatione vel
sibi vendicarent, vel nova vectigalia
imponerent, Curtamerus autem Nor-
mani Senatus potentia adjutus Argentinam Urbem nuper a Rege occupatam
recuperare niteretur. Postea unanimi
omnium consensu hæc statuebantur. I.
Præsidia augeantur, Buchardiensis vero
legio a Rege exauctorata rursus erigatur. II. Regianensis vectigalis Curia
itidem a Rege suppressa restauretur, ac
pecuniæ exin haultæ ad alenda Urbium
præsidia impendantur. His sancitis spu-
rius hic Senatus arrogata sibi supremi
imperii auctoritate declarabat, quod
hanc in rem necessaria ubique mandata
daturus esset. Postea omnes congregati hucusque gesta rata habuere, seque pro eorum executione vitam, & bona profusuros jurabant: insuper altera die vigesima Junii articuli in sanctæ Fidei oppido propositi, atque anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto ibidem in quodam conventu sanciti augebantur, ratique habebantur: postea vero quidam Deputati in Aquitaniam, Occidaniam, & Delphi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1596.
Delphinatum decernebantur, qui harum ditionum Calvinistas congregarent, eosque adigerent, ut & ipsi hanc unionem Lovioduni sancitam jurejurando firmarent.

§. XXX.

Deputati ad Loviodunense Conciliabulum a Rege missi.

Cum ergo juxta hujus fœderis articulos in omnibus Provinciis Regis Æraria a Calvinistis spoliarentur, & ubique milites conscriberentur, hinc Rex, qui tum Abbatis-villæ agebat, se omnibus tam militum, quam pecuniarum subsidiis, quibus tum in Picardia ad regni sui defensionem summopere indiguisset, destitutum cernebat: sub idem vero tempus Plessius de omnibus hucusque Lovioduni agitatibus Regem certio-rem reddens, eundem hortabatur, ut funestis ex hac Calvinistarum unionem orituris tumultibus obviaturus quædam illis indulgeret. Henricus soluto eorum conventu in Provinciis seditionem conflare veritus, Emericum Vicum Religione Catholicum, & Sofredum Calignonum Hugonottam Loviodunum die nona Julii ablegabat, qui de Calvinistarum petulantia querentes Pictaviense edictum urgerent, simulque sponderent, quod Rex in illis urbi-